Quelle: https://manuscripta.at/?ID=45
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



cadere: et manducemus & epulemur. quia hic
filius meus mortuus erat & revixit. perierat &
inventus est. Et ceperunt epulari. Erat autem filius
eius senior in agro. Et cum veniret & adpropin
quaret domui. audivit symphoniam. & cho
rum. & vocavit unum de servis. & interro
gavit quae haec essent. Ipse dixit illi. frater
tuus venit. & occidit pater tuus vitulum
saginatum. quia salvum illum recepit. Indig
natus est autem. & nolebat introire. Pater ergo il
lius egressus. coepit rogare illum. At ille res
pondens. dixit patri suo. Ecce tot annis ser
vio tibi. & numquam mandatum tuum praeterivi. &
numquam dedisti mihi hedum ut cum amicis meis
epularer. Sed postquam filius tuus hic qui de
voravit substantiam suam cum meretricibus venit.
occidisti illi vitulum saginatum. At ipse dixit
illi. fili tu semper mecum es. & omnia mea
tua sunt. Epulari autem et gaudere oportebat.
quia frater tuus hic mortuus erat & revi
xit. perierat et inventus est. T.